

IN SOMNIVM SCIPIONIS

ergo dictis, solum hominem constat ex terrenis omnibus, mentis, id est animi, societate cum celo & sideribus habere communem. Et hoc est quod ait: Hisque animus datus est ex illis sempiternis ignibus, quae sidera & stellas vocatis. Nec tamen ex ipsis celestibus & sempiternis ignibus nos dicit animatos. Ignis enim ille, licet diuinum, non corpus est. Nec ex corpore quis diuino possemus animari, sed unde ipsa illa corpora quae diuina et sunt & uidentur, animata sunt, id est ex ea mundane animae parte, quam diximus de pura mente constare. Et ideo postquam dixit: Hisque animus datus est ex illis sempiternis ignibus, quae sidera & stellas vocatis, mox adiecit, quae diuinis animatae metibus: ut per sempiternos ignes, corpus stellarum: per diuinias uero mentes, earum animas manifesta descriptione significet, & ex illis in nostras uenire animas uim mentis ostendat.

*Sue phorum
de anima.*

Facilitate at.

Non ab re est, ut haec de anima disputatio in fine sententias omnium, qui de anima uidentur pronuntiasse, contineat. Plato dixit animam essentiam se mouentem, Xenocrates numerum se mouentem, Aristoteles *νύτελέχεια*, Pythagoras & Philolaus harmoniam, Posidonius ideam, Asclepiades quinque sensuum exercitium sibi consonum, Hippocrates spiritum tenuem per corpus omne dispersum, Heraclitus Ponticus lucem, Heraclitus physicus scintillam stellaris essentiae, Zenon concretum corpori spiritum, Democritus spiritum insertum atomis, hac facultate motus, ut corpus illi omne sit quium: Critolaus peripateticus constare eam de quinta essentia, Hipparchus ignem, Anaximenes aeram, Empedocles & Critias sanguinem, Parmenides ex terra & igne, Xenophantes ex terra & aqua, Boëtos ex aere & igne, Epicurus speciem ex igne & aere & spiritu mixtam. Obtinuit tamen non minus de incorporalitate eius quod de immortalitate sententia.

*Sidera que,
Stelle que.*

Askl. ἄστροι.

Sphaera.

Nunc uideamus quae sint haec duo nomina, quorum pariter meminit cum dicunt: Quae sidera & stellas vocatis. Nec enim hic res una gemina appellatione monstratur, ut ensis & gladius. Sed sunt stellae quodam singulares, ut erraticae quinque, & ceterae, quae non admixtæ alijs, solae feruntur. Sidera uero, quae in aliquod signum stellarum pluriū compositione formantur, ut aries, ut taurus, ut Andromeda, Perseus, uel corona, & quinque variarum gena formarum in coelum recepta creduntur. Sic & apud Graecos *ἀστέρις*, *ἄστρον* diuersa significant. Etem aster stella una est, & astron signum stellis coactum, quod nos sidus vocamus. Cum uero stellas globosas & rotundas dicat, non singularium tantum exprimit speciem, sed & earum quae in signa formata concuerint. Omnes enim stellae inter se, et si in magnitudine aliquam, nullā tamen habent in specie differentiam. Per haec autem duo nota, solida sphæra describitur, quae nec ex globo si rotunditas desideretur, nec ex rotunditate si globus desit, efficitur, cum alterum à forma, alterum soliditate corporis deseratur. Sphaeras autem hic dicimus ipsarum stellarum corpora, quae oīa hac specie formata sunt. Dicuntur pterea sphærae & aplanes illa quae maxima est, & subiectae septem, per duas duo lumina, & quinque uagae discurrunt. Circi uero & orbes, duarum sunt rebus duo nomina. Et his nominibus quodam alibi aliter est usus. Nam & orbem pro circulo posuit, ut orbem lacteum. Et orbem pro sphæra, ut nouem tibi orbibus uel potius globis. Sed & circi uocantur, quae sphæram maximam cingunt, ut eos sequens tractatus ostendet, quorum unus est lacteus, de quo ait: Inter flamas circus eluces. Sed hic horum nihil nec circi, nec orbis nomine uolutum.